



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cura Salvts, Sivæ De Statu Vitæ Mature ac Prudenter Deliberandi Methodus

Hevenesi, Gábor

Coloniae, 1716

VD18 13912755

Affectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50144)

inveniet; ad centrum suum quod DEUS est, anhelare debet, ut ei bene sit, Vide Parthenophile! ita cautè procede, ne gemere serò cogaris: *Ergo erravimus à via veritatis.* Sap. 5. Frustra laboramus, pacem in nullo statu inveniemus, nisi DEUM quæramus; *inquitum est cor nostrum*, expertus dicit Augustinus: *nisi requiescat in te*, imò non solum pacem animi non inveniemus, sed cruces innumeras, perpetuam amaritudinem, id est, infernum ante infernum experiemur, ex quo quia sæpe nulla, nisi per mortem, redemptio, quàm misera, & infelix ejusmodi vita sit, facilius cogitare possumus, quàm satis agnoscere. *Perditio tua ex te Israël, ex me tantummodo salvatio tua*, Os. 13. Ne hoc tu audire cogaris. DEUM quære propter DEUM; & dic cum S. Ignatio:

Affectus.

Suscipe Domine universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es; id tibi totum restituo, & tuæ prorsus trado voluntati gubernandum.

Amorem tui solum cum gratia tua, vocationem meam manifestante, mihi dones, & dives sum satis, nec quidquam ultrà posco. Avarus sim, si tu, mi DEUS ! mihi non sufficis. Quidquid quæro, aut desidero, tu solus es, DEUS meus mihi omnia ! modò te illuminante sciam, quid placitum sit ante te. Domine, quid me vis facere ? Coecus ego sum, da Domine ! ut videam.

Indifferentia est deliberanti
necessaria.

*Omni sollicitudinem vestram projicientes
in eum, quia ipsi cura est de vobis.*
1. Pet. 5.

I. **C**ùm sicut salus æterna, sic & vocatio nostra à DEI nutu & arbitrio pendeat, hoc ut certiùs assequamur, necesse omninò est, ut deliberantis voluntas nullam in partem inclinata, sit prorsus indifferens, & bilancis instar neque ad unam, neque ad alteram partem plus propendeat, ad id eligendum & exequendum parata, quidquid intellexerit DEUM velle. Qui seu persuasione veteri, seu inclinatione suâ, seu parentum imperio jam determinatus esset, is tentare potius DEUM, quàm